THOMAE VALLAVRI

DE STVDIO ANTIQVITATIS

ORATIO

HABITA IN R. TAVRINENSI ATHENAEO

III NON. NOVEMBRES AN. M. DCCC. XLII.

TAVRINI
EX OFFICINA FRATRVM FAVALIVM
AN. M. DCCC. XXXXII.

HONORI · ET · MEMORIAE

CAROLI · BOVCHERONI

TAVRINENSIS

QVI · LATINORVM · SCRIPTORVM

AETATIS · SVAE · LONGE · NOBILISSIMVS

EGREGIVS · ANTIQVITATIS · VINDEX

HABITVS · EST

THOMAS · VALLAVRIVS

SVAVISSIMI · PRAECEPTORIS

DESIDERIO · TACTVS

HANC · ORATIONEM · DEDICAT

Rex Invictissime,

Quod in mysticis olim certaminibus a Graecis fuisse factitatum accepimus, ut alii aliis facem per manus traderent; id ego arbitror, Patres sapientissimi, longe alio spectasse ac vulgus hominum opinatur. Scilicet non ad religionem tantum hoc pertinebat, quo aut Deam Athenarum potentem colerent aut plebis animus, ut fit, quodam veluti spectaculo caperetur; sed hoc facto

veteres illi sapientes dum Palladem omnium artium inventricem et quasi parentem venerarentur, arcano quodam sensu progressum disciplinarum videntur adumbrasse, quo aetas aetatem inventis suis quasi totidem facibus sic auget, ut ad supremum illum doctrinae gradum perveniamus, ad quem hominum mens possit adsurgere. Quae quum ita sint, haud absurdum mihi visum est in solemni hac studiorum instauratione a mystico illo Graecorum ritu orationem meam auspicari; quando omnis mortalium doctrina veterum experientia potissimum constat, qui planiorem viam recentioribus muniverunt. Et revera si quis rem ab antiquissimis repetendo, disciplinarum origines et quasi incunabula velit animo parumper considerare, statim perspiciet a quam parvis initiis illa profecta sint, quae subsequentium aetatum tentaminibus sic fuerunt nobilitata, ut nostro-

rum hominum studia in incredibili rerum obscuritate non secus versentur, atque in iis, quae in medio posita a communi quodam usu facillime petuntur. Quo factum est, ut haec opinio in multorum animis insederit, humano ingenio nunquam partis acquiescendum; innumera esse, quae superioribus incomperta necdum tentata, uberem campum novis investigationibus proponant; hanc gloriam nos nepotesque nostros manere; ad quam nisi maximis laboribus contendamus, ignaviae nota turpissima nomini nostro erit inusta. Haec atque alia huiuscemodi a nostrae aetatis hominibus passim audias praedicari, quae nemo sanus reprehendat, nisi ex illorum numero sit, qui dum commoda atque urbanitatem amplexantur, quae a bonarum artium cultu in genus humanum sunt profecta, homines absurdi barbariem tamen laudant et humani ingenii conatus exhor-

rescunt. Verum, Auditores, in concitatissimo cursu, quo humana cuncta ferri atque aucta procedere sentimus, illud semper animadversione dignum existimavi, hoc discriminis inter politiores literas et ceteras disciplinas intercedere, quod illis certus quidam finis sit constitutus, quem transilire nefas sit, quemque ubi attigerint, vel felicissimis temporibus sensim deflorere atque exarescere videantur; ad posteriores vero quod spectat, aetates aetatibus veluti per manus inventa inter se tradant, interdum quidem haereant, et diutius in eodem gradu consistant, at, nisi maxima superveniente calamitate, nunquam penitus extinguantur. Quod cum apud ceteras gentes, tum apud Italos praesertim cognitum est, qua tempestate ob rerum novarum studium corrupta eloquentia, philosophia tamen Galileii aliorumque opera felicissime excoleretur. Quapropter quo-

rundam opinionis perversitati occurrens, qui nullo discrimine, in nullo artium genere extremam illam lineam inesse arbitrantur, quam transgredi prorsus non liceat, hoc apud vos confirmare conabor, Auditores, humaniores literas videlicet saepe illuc esse revocandas unde primum profectae sunt; ac quemadmodum reliquae disciplinae, quae naturae investigatione continentur, inventis potissimum vigent; ita in bonis artibus ad quas pertinet naturam imitari, regressum ad sinceros veterum fontes interdum esse laudandum, atque antiquitatis imitationem tamquam sanctissimum Vestae ignem habendam esse, quo vivo et exardescente literae in Italia floruerunt, quo deficiente corrumpi tandem visae sunt. Non dubito fore complures, quibus haec verba, nostra praesertim aetate, absurda videantur, qua antiquorum contemtio pars ingenii apud quosdam

haberi solet, qui, veterum sapientia fastidiosius repudiata, ad ea tantum feruntur, quae a recentioribus sint profecta. Verum si ea benignitate qua alias nunc quoque me audiveritis, vos mihi in hac re facile assensuros confido. Equidem, Auditores, quum tertius hic annus sit, ex quo ob diuturnam humanissimi Collegae valetudinem hoc dicendi munus mihi est demandatum, dum tristem casum doleo, ob quem hic mihi aditus laudis patet, laetor quam maxime vos mihi sorte potissimum datos apud quos ingenii vires in hoc argumento periclitarer.

Si spatium praeteriti temporis respicientes, superiores aetates cum hac nostra compararemus, nobis profecto perbeati esse videbimur, qui in tanta humanitatis luce versemur, ut nunquam antea hominum vita vel tutior vel iucundior esse potuerit. Tantus quippe doctrinarum ascen-

sus apud nos fuit, ut nihil ferme sit tam reconditum aut tam abstrusum, quo nostrorum mens iam non pervasisse videatur. Mitto hic civilem illam prudentiam, qua rerum publicarum incolumitas maxime nititur, qua belli utilitas et pacis dignitas sustinetur. Mitto iuris disciplinam, quae post Germanos a Gallis et Batavis naviter exculta apud nos etiam ad saeculi necessitudines fuit exacta. Egregium illud decus praesertim commemorabo Subalpinis regionibus additum, quod Maioribus nostris iniquiore fortasse ratione et fere per contemtum ita denegatum accepimus, quasi agresti nostrorum ingenio, non belli calamitatibus ac difficillimis temporibus id esset tribuendum (1) Iam quo spectent haec verba cogitatione perspicitis, Auditores, qui bonarum artium patrocinium, quae in pulchri sensu ac cognitione versantur ita a REGE CAROLO ALBERTO susceptum

vidistis, ut nihil prorsus reliqui fecerit, quo Regnum ceteroqui florentissimum, humanioribus etiam artibus excultis in dies magis explendesceret. Quod quidem cum multa alia testantur, quae toties iam ex hoc loco fuerunt commemorata; tum illud maxime, quod regia nuper auctoritate quotquot est in civitate elegantiorum hominum in unum vidimus coalescere, ut collatis viribus, praestantissimi cuiusque artificis natura in id quo tenderet praesertim adiuvaretur (2). Quotus autem quisque est quin sciat quantum fuerit incrementum disciplinarum, quae in mundi leges atque in corporum naturam inquirunt (3)? Scilicet a patrum memoria dumtaxat id est repetendum, praesertim ex quo coetus ille doctorum virorum haberi primum coeptus est, cui a scientiarum finibus proferendis postea nomen fuit, quique in tantam claritudinem brevi

pervenit, ut iam vel ab incunabulis futuram olim magnitudinem portenderet (4). Nec parum hisce disciplinis de quibus loquimur decus est accessurum ex lectissimorum virorum laboribus, qui apud nos Hippocraticam scientiam professi, et quae cuique animadversione digna occurrunt certis quibusdam diebus inter se communicando, experientia potissimum praceunte, naturae arcana patefacere, atque hominum genus a teterrima morborum illuvie vindicare conantur (5). Verum, dum crescenti in dies scientiarum splendore gaudemus, dum mira quaedam in rebus physicis, proavis nostris incredibilia nedum incognita legendo obstupescimus; politiores literae, (dicam enim libere id quod sentio), si innumeram scriptorum aevi nostri multitudinem spectemus, haud ita pari gradu cum ceteris disciplinis progredi videbuntur. Et si

nonnullos excipias, eosque perelegantes scriptores, quos singularis ingenii vis atque acerrimum iudicium a reliquorum labe incolumes praestitere, frustra excellentium virorum copiam requiras, qui superioribus temporibus in Italia provenerunt. Cuius quidem rei quum causam quaererem, dum tot in praesens adiumentis et praecipue imperantium voluntate, amplissimis etiam propositis praemiis ingenia ad gloriam impellantur, hanc potissimum inveniebam, plerosque videlicet rerum novarum cupidos a sinceris veterum fontibus recessisse. Tantus nimirum antiquitatis contemtus multorum mentes veluti tabes invasit, ut a graecis et romanis scriptoribus, tamquam a rebus contritis et pervulgatis abhorrentes, quaedam recentiorum portenta in deliciis habere non dubitent. Quod quidem quantum a recta literarum ratione alienum sit statim

liquebit si parumper animadvertamus quaenam sit veteris doctrinae natura et ingenium. Animum convertite, Auditores, ad doctissimos illos viros, qui veterum religiones, mores et instituta aut per historiam digesta, aut carminibus depicta, aut demum orationibus exornata ad nos usque transmiserint. Inaffectata ubique dicendi ratio, aurea morum simplicitas, sincerus quidam color, postremo quoddam venustatis lumen apud illos nitet, quod facilius animo sentias, quam quid sit verbis persequare. Ad haec altitudo quaedam animi, sapientes atque acutae sententiae splendore illustratae verborum, omni denique rerum genere cumulata oratio et perpolita. Hoc autem incorrupto eorum de pulchro iudicio omnino tribuendum arbitror, quod ita proprium cuiusque gentis esse videtur, ut ab illo discedere prorsus non liceat. Siquidem quotiescumque scriptores alienos

mores effingentes sui esse desierunt, literae statim ad occasum vergere visae sunt, ut apud Romanos patuit, qui post Augusteam aetatem scripsere, quos, ait Quintilianus, velles suo ingenio dixisse, alieno iudicio (6). Namque subobscurum aut inflatum quoddam dicendi genus et acumina quaedam sententiarum sectantes, eloquentiam penitus vitiarunt. Quod postea in Italia renovatum est saeculo XVII, quum nostri homines antiqui candoris pertaesi tumorem quendam verborum atque inanem sententiarum strepitum adamarent. Tunc enimvero illud Senecae (7) comprobatum est, eloquentiam esse publici moris imaginem. Namque Itali post diuturnam Hispanorum dominationem, horum moribus nihil ferme sentientes adsueverant; quae essent praeter modum, quaeque res inter se diversas complecterentur nullo cognationis vinculo consociatas, ea duntaxat

amare, laudibus efferre, atque excellentis ingenii opera praedicare. Tunc videlicet monstrosum illud ingenium exstitit, quod omnium admirationem in se conciliaret. Ioannes Baptista Marinius is est, qui quum Neapoli ortus universam Italiam fucatae eloquentiae fama repleret, ne Maiores nostri illa calamitate carerent, in Subalpinas regiones adventans (8), vitium illud literarum invexit, quod postea viros praestantissimis ingeniis praeditos transversos egit (9). Vix dum Itali errore cognito ad meliorem se frugem receperant, quum patrum memoria Ossiani studium omnium animos sic cepit, ut nihil in scribendo nisi hyperboreum probarent. Optandum quidem foret, ut nostri superioribus aetatibus tandem edocti a Maiorum monumentis non abhorrerent! Quod enim Nicolaus Machiavellus (10) acutissimus vir de imperiis praedicabat, quo diuturnior iis vita sup-

petat, ad illas artes identidem esse revocanda, quibus initio constituta sunt; id de literis atque artibus quae in naturae imitatione versantur verissime dicendum puto. Namque hae literae artesque quum hominum phantasia praesertim nitantur, quae tamquam voluptaria comes nobis est attributa, nisi certis quibusdam finibus sint circumscriptae, in ea vitia facillime delabuntur, quibus sensim corrumpantur.

Non sum equidem nescius, antiquitatis studiosos inertis, angusti et servilis animi a nonnullis accusari. Sed dubito utrum isti ex animo dicant, an alio quopiam studio ducti talia potissimum effutiant. Namque vetera consideranti confestim occurrit, qua tempestate nobilis eloquentia in Italia vigeret, atque humaniores literae strenue excolerentur, fortissimos et magnanimos viros in Asiam atque in Africam italicae virtutis famam propagasse, atque insigni-

bus victoriis quas de hostibus referrent palam fecisse, eosdem spiritus, qui ad praeclara quaeque capessenda eos impellerent, atque in bellis invictos praestarent, supremum poësi, eloquentiae, historiae fastigium attulisse. Adeo quum aetas quaepiam maximis ingeniis vigeat, quae sint bonis artibus enutrita, haec quasi vis vitalis omnia pariter pervadit, quae aut a corporis aut a mentis viribus proficiscantur! Hic vero quaeram ab istis, qui tam acriter antiquitatis studium pervellunt, quare post Augusti excessum, quum Romanorum imperium muliebribus plerumque consiliis regeretur, illa ingeniorum lumina defecerint, quae stante republica enituissent. Nempe immutatis moribus consenuerat pristina illa Romanorum vis, quae Decios, quae Fabios, quae Curios protulisset. Post devictam Siciliam, Africam, et post deleta Asiae regna immodicae opes Romae-

exundabant. Italicus ager neglectus, artes fere omnes servis commissae; urbs feroci avidaque plebe stipata, privatis publicisque largitionibus adsueta; Patres equitesque ut impensas repararent, in quaesturis, in praeturis provinciales impune expilare, omnia demum Romae venalia esse. Quod si res aliter se habuisset, barbari, qui afflictis rebus romanis ex regionibus septentrionalibus in Italiam irruerunt, tantas ignorantiae tenebras nobis profecto non offudissent. Cuius rei argumentum suppeditant Graeci, qui etsi in alienum dominatum concesserant, diutius tamen ob literarum gloriam adhuc florere visi sunt; licet Romani victores tunc temporis bellandi studiis immanes ac feri nihil nisi militiam spectarent, atque a mollioribus artibus abessent.

Verum quantopere antiquitatis studium ad politiorem humanitatem rite excolen-

dam conferat, ex italicarum literarum origine facilius etiam patebit. Memoria repetite, Auditores, aetatem illam infelicissimam, qua attritis Romanorum opibus barbarorum incursiones Italiam sic deformaverant, ut ad pristinum decus nunquam reditura videretur. Nihil enim aliud intuentibus obversabatur, quam fuga, rapinae, trucidatio; nihil adversus barbarorum vim satis munitum; nihil tam sanctum, quod audacia non violaret; ius nullum, leges silentes, literae demum, pene dixerim, exstinctae. Maioribus nostris in tam obscurum locum demissis undenam humanitatis lumen affulsisse arbitramini, nisi a veteribus scriptoribus, qui ex communi illo naufragio enatantes in coenobia tanquam in portum confugissent? Hi videlicet, quum primum haec humanitatis studia iterum excoli coepta sunt, curiosius ubique conquisiti, sum-

mo labore exscripti et studiosissime perlecti novam Italorum ingeniis viam straverunt, qua ex tot calamitatibus possent emergere, atque ad spem futurae amplitudinis adsurgere. Qua in re iamdiu illorum sententia fuit explosa, qui arbitrarentur, idcirco miserrimam illam rerum italicarum conditionem tamdiu perdurasse, quod nulli exstiterint illa tempestate viri potentiores, qui opibus suis Italos sublevarent. Scimus enim saeculo IX irritos omnino Caroli illius conatus cessisse, qui ob eximiam virtutem et res egregie gestas cognomento magnus fuit appellatus. Haec igitur literarum instauratio ab Aligherio(11) aliisque iam inchoata, Petrarchae potissimum accepta est referenda, qui ratus intermortuis literis nulla alia ratione nisi ex graecis et romanis exemplaribus vitam et decus accessurum, ineunte saeculo XIV veteris sapientiae monumenta avidissime quaeri-

tare; privatorum aedes, bibliothecas scrutari, et nihil omnino praetermittere ut veterum elucubrationes in lucem proferret, complures autem codices inter se conferendo, nativa ab insititiis secerneret, et genuinam scriptoris lectionem inveniret (12). Quo facto vix dici potest quantum literis munus attulerit, quo tempore difficillima itinera essent suscipienda, magni labores exantlandi ut iacentes literarum reliquiae a situ et squalore vindicarentur. Qua in re maximum etiam attulit momentum illius aequalis Ioannes Boccacius, qui per Barlaamum Calabrum et Leontium illum Thessalum, graecos fontes Florentinis primum aperuit. Post Petrarcham vero et Boccacium complures Itali eandem viam ingressi sunt, atque ex nostratibus Alexandrinus ille Merula, cuius diligentia Plautinae comoediae in Italia primum editae sunt. Isti bonarum artium sospitatores, ingenio at-

que eruditione praestantes egregiam operam in veterum exemplaribus emendandis navabant. Ut autem ne pusillis quidem mendis deformarentur, quae eruditissimis interdum viris tenebras obiiciunt, in uno aut altero scriptore vitam insumere non dubitabant. Sed profecto non erat cur viri graece et latine scientissimi tantum laboris in antiquis ponerent, nisi multum ponderis ad haec studia de quibus loquimur pertractanda, illis inesse existimassent. Scilicet recens erat Narbonensium poëtarum memoria, qui decedentibus tum primum Italiae tenebris, quin se ad Graecorum et Romanorum imitationem componerent, solis Arabum exemplaribus contenti, licet ingenio abundantes, ausis tamen suis exciderant (13). Quamvis enim Narbonensium poësis venustate quadam non careat, et simplici quodam atque inaffectato colore commendetur; vividas tamen imagines,

sententiarum sublimitatem, exquisitae dictionis lumina, gratam denique varietatem in illa desideramus. Quid plura? Etsi poëtae quos supra memoravimus in illa tempora inciderant, quibus incredibilis esset impetus populorum ad gloriam, ac praesertim omnium ore ac laudibus celebrarentur Europaeorum in Orientem expeditiones, quas postea immortali carmine Torquatus noster cecinit; nullibi tamen apud illos ne vestigium quidem epici poëmatis reperias, ut ex eorum operibus patet, quae haud ita pridem in unum corpus congesta edidit Raynouardus vir eruditissimus (14). Atqui neque ingenium Narbonensibus, nec rerum opportunitates deerant; deerant quidem exemplaria, a quibus rectam inveniendi normam peterent. Quod autem de politioribus literis affirmamus, idem de pictura, sculptura ceterisque liberalissimis artibus dicendum,

quas omnes ait Tullius esse cum literis sororia cognatione devinctas (15). Exeunte videlicet saeculo XVII humanum ingenium, quod suapte natura mobile et fluxum rebus novis indulgere consuevit, falsam penitus rationem in artes humaniores invexit. Postquam igitur Berninius, singularis ingenii vir eiusque sectatores sculpendi artem corruperunt; postquam Iosephus Cesarius (16) aliique picturam nunquam antea visis portentis foedarunt, quanam ratione putamus factum fuisse ut artifices rectam rursus viam ingrederentur, et nativam operibus venustatem conciliarent? Philosophiae videlicet lux mortalium oculis affulsit, qua praelucente, ridenda aequalium deliramenta aversati ad naturae et veterum imitationem confugerunt (17). Inter quos Winkelmannus (18) praesertim et Mengsius sunt laudandi, qui ingenii acumine artifices ad germanum pulchri sensum revocarunt. Quamquam ho-

rum adhortationibus aliae causae accesserunt quae hominum mentes falsa quadam ratione delinitas, et prope dixerim, torpentes haud ita multo post vehementius excitarent. Nempe Herculani monumenta post diuturnam oblivionem veluti reviviscentia ; tum quae in villa Tiburtina (19) aut alibi delitescerent; Nolana vasa aliaque id genus in lucem revocata, miro omnium animos antiquitatis amore inflammarunt. Hinc graves de veterum artibus disputationes, quae in doctorum coetibus habitae aut in vulgus editae sunt; hinc praestantissimi viri, qui ex longinquis regionibus in Italiam advenientes, tamquam venerabundi has veterum reliquias invisebant, incredibile memoratu est quantopere artifices ad antiquitatis imitationem accenderent. Quapropter sculptura, pictura, ceteraeque artes harum comites et ministrae recta iterum via incesserunt, iamque vel a patrum memoria eo

magnitudinis pervenerant, ut miracula exstent, quae ad florentissimam Periclis aetatem nos revocare videantur. Neque id satis. Quum enim veterum Graecorum exemplaria Romae prae ceteris civitatibus una cum Urbinatis operibus abundarent, factum est, ut etiam corruptis temporibus pulchri sensus nunquam plane in principe illa urbe deficeret.

Quae quum ita sint, iam cuique vestrum perspicuum arbitror, Auditores, quid de recentioribus quibusdam sentiendum sit, qui quum aetatem longe a bonis artibus egerint, philosophorum nomen affectantes, bellum antiquis indixerunt, eoque processere, nescio utrum ignaviae dicam an audaciae, ut veteris sapientiae studium nostrorum literis officere pleno ore clamitare non erubescant. At veterum doctrina, si Superis placet, Ioannis Casae eloquentiae non nocuit, quem constat Graecis et Thu-

cydidi praesertim plurimum studuisse. Non nocuit Segnerio, qui in Tullianis operibus sic fuit versatus, ut Romani Oratoris vim et magnificentiam unus ex omnibus referre videatur. Utrique autem in italica eloquentia primas deferunt omnes, si modo paucos excipias, qui praecipuam dicendi laudem in quibusdam verborum ac sententiarum argutiis positam falso arbitrantur; quique in eo praesertim elaborant, ut res longius petitas, dissolutas, divulsas ac natura sua dissimiles inter se conglutinando, illa in medium adferant, quae novitate sua lectorum animos percellant, atque indoctis hominibus probentur; nihil omnino pensi habentes, utrum ea in quibus adeo se iactitant ex philosophiae fontibus hausta, an potius iudicii quadam perversitate profecta credantur. Atque haud scio, cur quum isti antiquitatis obtrectatores a veterum imitatione tantopere abhorreant, in

peregrinitatis aucupio elaborare non dubitent. Cur quaeso Graecos et Romanos aversabimur, ut Gallos, ut Germanos in deliciis habeamus? An castior et elegantior fluet Italorum oratio, si postquam nativum illius candorem infeceris, ad peregrini sermonis formam etiam refingas? Atqui quemadmodum in hominum animis et vultu fieri videmus, ut innumerae sint illorum formae, quibus alii ab aliis secernantur; ita etiam comparatum est, ut pro diversa caeli temperie, pro diversa gentium natura suus esset eloquentiae color.

Sed enim quasi Italorum indoles sit immutata, saepenumero haec audias adversus antiquos iactari: post graeca et romana tempora maximam rerum commutationem factam fuisse in iis praesertim quae ad religionem pertinent, alios mores inductos, aliis legibus hominum cupiditates fuisse constrictas, proinde aliam literarum ra-

tionem, severiorem hanc aetatem decere. Et quando omnia humana perpetuo motu cientur, ut vel imminuta, vel novis accessionibus ut incursu fluminum aucta nunquam in eodem gradu consistant; sic literas quoque diversis temporibus esse accommodandas. Quae etsi primo statim adspectu veritatis speciem prae se ferre videntur; ea tamen non sunt, ut rem acrius consideranti fucum faciant. Quis enim nescit suum cuique genti ingenium inditum fuisse, quod extra omnem fortunae vicissitudinem positum sit, neque ullis unquam rerum conversionibus immutetur? Quapropter etsi maximi saepe casus nova in gentes invehunt instituta, nunquam tamen fiet, ut quod natura pulchrum aut rectum in literis Maiores secuti sunt, id nepotibus, si sanae mentis sint, foedum aut a ratione alienum videatur. Verum haec recentioribus non probantur, quos effrenis novandi licentia

sic agit, ut nihil in Italia vernaculum postmodum futurum sit. Namque, ut cetera omittam, quis infelicem apud nos scenae conversionem aequo animo ferat? Fuit comoedia apud veteres effigies domestici moris et consuetudinis, quae hominum vitia iocis atque urbana dicacitate carpendo, dum populum doceret, illius animum suavissima iucunditate exhilararet. Ita Aristophanes apud Graecos, Plautus et Terentius apud Romanos, Molierius et Goldonius patrum memoria scenae hilaritatem tuebantur. Tunc spectator vitium aversatus melior e theatro redibat. Sed plerique nostrae aetatis scriptores risu et facetiis ab scena ablegatis, priscam comoediae festivitatem in maestitiam verterunt. Et perinde ac si humanioris vitae nostros taederet, foeda quaelibet scenae gaudent committere, miserabilibus spectaculis caveam horrore perfundere, atque eo tandem ventum est,

ut nihil ferme discriminis inter comoediam et tragediam interesse videatur (20). Quin etiam ab impura Beaumarchei, Sauvestrii aliorumque schola quoddam lacrymosi poëmatis genus est profectum, quo praeterquamquod infanda spectantium oculis flagitia obiiciuntur, illud etiam accedit, quod quum putent se melius veritati servire, omnem fere omnino artem abiecerunt. Qua in re nisi regressus fiat ad antiquos, qui huiusmodi spectacula a civium oculis abesse voluerunt, nescio equidem quo res tandem sit evasura.

Neque tamen is ego sum, Auditores, qui dum antiquitatis studium praedico, ita velim nostros veterum vestigiis insistere, ut ne tantillum quidem ab iis recedant, atque omnem plane libertatem ingeniis praecidendam putem. Quis enim literas ferat timidas aut sine lacertis, quaeque extraneos mores secutae a nostris quam ma-

xime absint? Volo, Auditores, volo literas virili sapientia enutritas, quaeque hominis naturam, desideria et necessitudines spectando, aetatis notam praesertim referant. Hoc nempe praecipuum literarum officium puto, humanitatis semen fovere, vitia quae hominis dignitatem minuant censoria veluti virga notare; magnos autem viros laudibus tollere, qui aut rebus novis inventis, aut egregie et fortiter factis, ingenii et corporis vires patriae charitati manciparint. Quod si vel a primis literarum incunabulis huc semper antiquissimi spectarunt, ut virtutis laude et vitiorum insectatione homines perficerent; si nihil in eorum operibus exstat, quod velimus abesse; postremo si florentibus civitatibus praestantissimi quique scriptores semper provenerunt, peto a vobis, Auditores, quo consilio veterum sapientiam adolescentibus nostris invideamus. Quid quod, si nationes illae

ipsae, quae nostra tempestate in iis quae ad urbanitatem spectant omnium consensu principatum obtinere creduntur, a veterum doctrina studia sua auspicari non dubitant? De Britannis et Gallis loquor, apud quos tum graecis tum latinis literis animi adolescentum mature imbuuntur; etiamsi a romanis scriptoribus Maiorum suorum gloriam non doceantur, qui seu ignavia seu casu in victorum ditionem concesserunt. Nos autem, quibus « tam multas imagines, uti habet Tullius (21), non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas reliquerunt..., cur animum et mentem nostram ipsa cogitatione hominum excellentium non conformabimus? »

Ceterum non alia penitus ratione veteres nobis imitandos censeo, quam illa, qua Plato ab Homero quasi a fonte innu-

meros rivulos in rem suam derivavit. Qui enim, ait Longinus, tot et tanta, eademque diversissima disputationibus suis philosophicis Plato inspersisset, nisi Homerum tamquam athletam fortissimum sibi proposuisset, adversus quem de victoria decertaret? Neque immerito rhetor Atheniensis, quem modo nominavi, inter ceteros fontes, ex quibus altitudo sententiarum ducitur, imitationem quoque censuit esse recensendam, unde vim quandam praeter hominis naturam ait existere, quam furori illi comparat, quo Apollinea Sacerdos in tripode correpta futura portenderet (22). Neque velim, Patres sapientissimi, oratorie potius quam vere haec a me dicta existimetis. Namque, ut de Latinis sileam qui Graecos plane secuti sunt, si optimae notae scriptores evolvamus, qui post renatas literas in Italia exstiterunt, confestim apparebunt veteris sa-

pientiae vestigia, quae ad mores nostros translata optime illis congruere visa est. Complura hic possem afferre, nisi unus mihi Torquatus abunde in hanc rem argumenta suppeditaret. Quamquam enim Surrentinus poëta omnibus vel ingenii vel naturae praesidiis erat instructus, non inficiandum tamen ad divinam ipsius poësim Graecorum et Romanorum imitationem plurimum contulisse. Quin etiam affirmare non dubitaverim, splendidiora religiosi sui poëmatis loca ex veterum penu omnino esse depromta. Praetermitto horrendum illud inferorum concilium, in quo tam saeva coniuratio adversus christianorum exercitum conflatur, quod ex primo libro Claudiani in Rufinum (23) penitus fuit translatum. Praetermitto sylvam Thessalicis carminibus obstrictam, in qua describenda noster ad Lucani Pharsaliam (24) respexit. Praetermitto angelos pugnantium

vulneribus in castris medentes, in quibus italus poëta Homerica numina adumbravit. Quis autem in furenti Armida Catullianam Ariadnem Thesei caput diris devoventem, aut Virgilianam Didonem Troianum ducem exsecrantem non agnoscat (25)? Ad haec insulae illae fortunatae, quae a veteribus Beatorum sedes habitae sunt, quaeque tam vividis coloribus ab italo poëta pinguntur, illico Odysseam (26) et Horatiana carmina (27) in mentem revocant. Denique ne multus hac in re sim, in Rinaldi clypeo Hesiodeum inventum occurrit, Homericis (28) et Virgilianis (29) sententiarum luminibus illustratum. Haec carptim de Torquato; quibus alia multa adiungerem nisi apud vos, Patres sapientissimi, haec haberetur oratio, quorum iudicium superbissimum, parabilem eruditionem aut ambitiosius conquisitam merito adspernatur ac respuit. Ceterum elegan-

tioris doctrinae studiosi, qui haud abs re putarunt veterum sapientiam cum Italorum literis coniungere, idem de reliquis testabuntur, qui aureo illo saeculo XVI inclaruerunt; quum praesertim nemo ferme ex illis fuerit, qui non perinde in latinis atque in italicis literis praestiterit (30). Neque omnino illos audiendos puto, qui in hisce scriptoribus inanem verborum volubilitatem reprehendunt, in Romanorum literas hoc vitium transferentes. Si enim illius aevi scriptores eleganti, perspicua et comta oratione poëmata atque historias condiderunt, si lectissimis verbis sententias suas exornant, neque istos imitantur, qui barbaro atque obscuro sermone omnia obcaecant, an idcirco verbosiores appellabimus?

Verum, si superioribus temporibus omissis, ad hanc aetatem propius accedamus, se illico animadversionibus nostris offerent

Victorius Alferius et Vincentius Montius, quorum prior quadragesimum iam annum natus in literis graecis praeclaram operam ponere non dubitavit; alter vero graecorum poëtarum principem sic adamabat, ut Iliadem exquisitissimis italicis modis aptando, intermortuum Graecorum nomen apud cives suos renovaret. Viri plane singulares, qui felicissimo ingenio donati se tamen quidpiam magnum in literis non consecuturos existimabant, nisi in veteribus essent scriptis studiose et multum volutati! Horum exempla in iis quae ad antiquitatis studium pertinent velim ante oculos vestros perpetuo obversari, iuvenes lectissimi, quorum causa haec omnis oratio a me praesertim suscepta est, ne forte opinionum perversitate abrepti, in errorem nihil sentientes delabamini. Quum enim omnia Subalpinorum ingeniis abunde suppetant, quibus ad gloriam homines gras-

santur, summa ope elaborandum puto ut illam viam ingrediantur, qua insitam vim ad patriae decus et propriam utilitatem possint expromere. Atque eo acrius adnitendum, quod praeclarum hoc literarum depositum nobis a Maioribus traditum (31) multo commodius posthac inter haec otia pacis nepotibus transmittemus. Quae summa laus erit Caroli Alberti Regis invictissimi, a quo quum multa sint eximia ad constituendam rempublicam sapienter provisa; tum literis subalpinis prudentissime consultum est instaurato nuper Provincialium Collegio (32), ubi ephebi in patriae spem succrescentes tuto et sine ulla offensione animum liberalissimis disciplinis exerceant.

197

(1) Vide P. GIORDANI disputationem quae inscribitur: *Discorso sullo stile poetico del Marchese di Montrone*, Milano, Bettoni, 1828, in-16.° — VILLEMAIN, *Cours de littér. française. Tableau du XVIII siècle.* Deux part. Paris, 1828, in-8.°

(2) V. Ephem. Subalp. num. LXXV, CXX, CXXVI, CXXVII, an. MDCCCXLI, ubi sermo est de instituto recens ornatissimorum hominum coetu, cui titulus: *Società promotrice delle Belle Arti.*

(3) Hoc abunde testantur, ut reliqua omittam, egregia opera, quae proximis annis ediderunt JOSEPHUS PLANA (*Théorie du mouvement de la lune.* Turin, 1835, 3 vol. in-4.°) et JOSEPHUS MORIS (*Flora Sardoa seu Historia plantarum in Sardinia et adiacentibus insulis*, vol. prim. Taurini, ex reg. typogr. MDCCCXXXVII, in-4°).

(4) Hic doctorum virorum coetus in Salutianis aedibus celebrari coeptus est anno superioris saeculi septimo et quinquagesimo; ad hoc praesertim adnitentibus I. ANGELO SALUTIO, ALOISIO LAGRANGIA, et I. FRANCISCO CIGNA.

196

(5) V. Leges Collegii sodalium medicorum Taurinensium, quod regio consensu constitutum est non. februariis an. MDCCCXXXXII.

(6) Instit. Orat. lib. X, cap. I.

(7) Epistol. ad Lucil. CXV.

(8) VALLAURI, *Storia della Poesia in Piemonte*, *Torino* 1841, vol. 1, P. V, pag. 319.

(9) Iuvat hic prae ceteris EMMANUELEM THESAURUM commemorare, quo neminem apud nos aetas illa ingeniosiorem tulit, aut maiori doctrinae laude florentem. Quare in universa Europa nedum Italia usque eo fama celebratus fuit, ut ex Subalpinis praestantissimus sui temporis philologus haberetur. Nunc pleraque illius opera evolvens nemo sanus risum teneat. Adeo sunt iis sententiarum et verborum acuminibus adspersa, quae nonnulli etiam aevi nostri homines a THESAURI ingenio et doctrina remotissimi, pullatae cuiusdam turbae plausibus illecti, venaticorum canum, pene dixerim, more avidissime aucupantur!

(10) V. *Discorsi sulle Deche di Tito Livio, lib. 3, cap. 1.*

(11) Vide quae habet in hanc rem CAESAR BALBUS excellentis ingenii atque exquisitae doctrinae vir in vita Aligherii ..... In niuna età niun uomo veramente grande fu mai, che più o meno non si valesse di quelle fati-

che anteriori, che alla educazione datagli dal tempo suo non aggiugnesse quella raccolta dai tempi antichi... Fra quelli poi che così fecero, niuno il fece meglio che Dante .... Così giovasse il grande esempio a non lasciarci dimezzare l' ingegno nè dagli uni, nè dagli altri dei malaccorti dispprezzatori del tempi passati o dei presenti. Vol. I, cap. V, pag. 106 e seg. della *Vita di Dante scritta da* CESARE BALBO. Torino, Pomba, 1839, due vol. in-8.º

(12) V. SADE, *Mémoires pour la vie de François Pétrarque, Amsterdam*, 1764, in.4.º — TIRABOSCHI, *Storia della Letter. ital. Modena*, 1789, in-4.º, tom. V, lib. I, cap. V, pag. 105.

(13) V. NOSTRADAMUS, *Vite dei Poeti provenzali* — MILLOT, *Histoire des Troubadours* — ARTEAGA, *Rivoluzioni del Teatro Musicale*, tom. I, c. 6. — SIMONDE DE SISMONDI, *De la littérat. du midi de l'Europe.*

(14) *Choix des poésies originales des Troubadours par* M. RAYNOUARD, Paris, 1817, VI vol. in 8.º

(15) Pro Arch. poet.

(16) Vulgo dictus *Il cavaliere d'Arpino.*

(17) V. LANZI, *Storia pittorica*, Bassano, 1809, in 8.º — MISSIRINI, *Della vita di Antonio Canova, libri IV. Prato, Giachetti*, 1824, in 8.º

(18) V. *Storia delle arti del disegno presso gli antichi. Roma*, *Pagliarini*, 1783, in-4.º

(19) Pulcherrimam hanc villam, cui sequioribus temporibus ab Hadriano nomen fuit, a I. Caesare olim exaedificatam emerat deinde C. Crispus Sallustius postquam ex Numidia reversus anno urbis conditae DCCX ingentes opes, proconsulatus spolia, secum attulerat. Nil mirum igitur si eximia antiquitatis monumenta Maiorum memoria inde fuerunt effossa.

(20) V. Plauti Comoed. vol. I. Taurini, Pomba, MDCCCXXII. Ibi gravissima legitur in hanc rem praefatio Caroli Boucheroni.

(21) Pro Arch. poet.

(22) Haec liberius reddidi ex Dionysii Longini *De subl.*, sect. XIII. — Πολλοὶ .... ἀλλοτρίῳ θεοφοροῦνται πνεύματι τὸν αὐτὸν τρόπον, ὃν καὶ τὴν Πυθίαν λόγος ἔχει, τρίποδι πλησιάζουσαν, ... αὐτόθεν ἐγκύμονα τῆς δαιμονίου καθισταμένην δυνάμεως, παραυτίκα χρησμῳδεῖν κατ' ἐπίπνοιαν. Οὕτως ἀπὸ τῆς τῶν ἀρχαίων μεγαλοφυΐας εἰς τὰς τῶν ζηλούντων ἐκείνους ψυχὰς ὡς ἀπὸ ἱερῶν στομίων, ἀπόῤῥοιαί τινες φέρονται, ὑφ' ὧν ἐπιπνεόμενοι, καὶ οἱ μὴ λίαν φοιβαστικοί, τῷ ἑτέρων συνενθουσιῶσι μεγέθει.

(23) Protinus infernas ad limina tetra sorores
Concilium deforme vocat; glomerantur in unum
Innumerae pestes Erebi, quascumque sinistro
Nox genuit foetu ..

(24) Lib. iii.

(25) V. Catulli Epithal. in nuptias Pelei et Thetid. vers. cxxxii — ccl.

(26) Lib. vi.

(27) Epod. od. xvi.

(28) Iliad. lib. xviii.

(29) AEneid. lib. viii.

(30) Qui in italicarum literarum historia hospes non sit, cogitatione statim ducitur ad Ludovicum Ariostum Petrum Bembum, actium Sannazarum, Ioannem Casam, et paullo superioris memoriae Angelum Politianum, quorum exstant tum latina tum italica monumenta summis laudibus ad hanc diem celebrata.

(31) Sapientissime a Maioribus nostris cautum est ut in R. Taurinensi Athenaeo veteris sapientiae fontes studiosis facile paterent. Et praeter orientales literas quae a Thoma Calusio primum civitate donatae nunc studio florent et cura Amedei Peyroni viri doctissimi, impensius etiam quam antea eloquentia graeca excoli coepta est. Quod quidem post Franciscum Regis. Carolo Boucherono praesertim et Iosepho Biamontio acceptum est referendum; quorum prior simul cum latinis etiam graecas literas nuper doceret; alter vero etsi italicam eloquentiam dumtaxat profitebatur, graecorum tamen literaturam ita diligenter habuit cognitam,

eique sic fuit deditus, ut discipulos ad illam streuue addiscendam vehementissime cohortaretur. Nunc autem quo commodius adolescentium rationibus consultum foret, partitione quadam doctrinarum facta, latinae atque italicae eloquentiae doctoribus nihil omnino est cum literis graecis, quarum dignitatem post BOUCHERONI excessum tuetur BARPTOLEMAEUS PRIERIUS alter ex Collegis.

(32) In hoc ephebeo, quod Rex Victorius Amedeus II aperuit, iam inde ab anno superioris saeculi XXIX ex publico aerario complures lectissimi adolescentes alebantur. Huic autem nuper restituto REX CAROLUS ALBERTUS, IOSEPHUM BOTTO A RUVERE equitem praefecit, virum ob multa generis, ingenii et dignitatis decora spectatissimum.

CENSORIBVS ADNVENTIBVS.